

~~Wilh. Ludwell~~

1249.

- ~~1.) Tractatus juris ad Institutiones~~
- ~~2.) Sist. II. Thesaurum juris~~

Wilhelmi Ludwell dissertationes XVIII. ad
Justinianearum Institutiones. Altorff. 1627.

Henrici Beszel dissertationes ad jus Pandec-
tarum Marp. 1627. Vol. 1.

Altorff. Sammelbd.
Lal.

] M13

DISPUTATIO DUODECIMA.
AD
IVSTINIANEAS
INSTITVTIONES.

Quam

D. O. M. A.

Permissu & auctoritate

Amplissimæ Facultatis Juridicæ in celeberrima Altdorfina.

PRÆSIDE

DN. WILHELMO LUDWELL
BORUSSO.

*Nobilissimis & Præstantissimis Dominis Collegis
examinandam exhibuit,*

JOH. LEONHARDUS STAMLERUS
JUN. AUGUSTA-VINDEL.

Mense Majo.

ANNO M. DC. XXVII.



ALTDORPHI NORICORUM,
E Typographia Balthafaris Scherffij,
Universitatis Typographi.

INSTITUTIONES
IUSTITIANEAS

APULINIUS FACILIANUS IUDICIS IN CELEBR-
TIS ALBERTUS


DR. WILHELMO EDWELL
BORSES

JOH. LEONHARDUS STAMMERS
JUN. AUGUST. VINDEN

ANNO MDCXXVII

ALBERTUS NORICORUM
E Typographia Palatinae Scientiarum
Gubernatus Typographi





DISPUTATIO DUO-
DECIMA.

Ad tit. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22. lib. 3.

RESPONDENTE,

JOHAN. LEONHARDO STAMLERO
JUN. AUGUSTA-VIND.

THESIS I.

Verbis (a) contrahitur sola (b) stipu-
latio, (c) quæ est contractus (d) verbalis, qui
interrogatione præcedente, (e) & responsi-
one congrua, (f) in continenti (g) subse-
quente, perficitur. (h)

(a) Ad perficiendam enim hujus contractus naturam, præter conventionem, sine qua nullus est contractus, etiam verba necessaria sunt. *Baro ad pr. Inst. de V. O.* non tantum declarandi animi causa, sed etiam, ut ex *ipsis verbis proficiscatur obligatio*, tota quæ conventionis substantia in iis consistat, §. *fin. Inst. de oblig. princ. Inst. h. t. l. 1. §. 7. & l. 52. §. 2. ff. de O. & A. Gædd. in tr. de contrah. & commit. stip. in prolegom. n. 4. & c. 1. n. 56.* (b) Plures contractus verbalis species fuisse, videlicet dictionem dotis, & jusjurandum liberti, existimat *Cujac. in l. 1. ff. de V. O.* quem prolixè contra *Don.* defendit *Gædd. in proleg. d. tr. n. 7. & seqq. Arum Exerc. 13. th. 3.* Sed verior adhuc videtur *Don.* sententia, partim quod nusquam in jure nostro, vel dotis dictio, vel jusjurandum liberti, ad verborum obligationem referatur: partim etiam quod locus *Caj. lib. 2. Inst. §. 3. & 4.* (præterquam quod nondum satis constet quis *Cajus* ille fuerit. *Val. Riem. Dec. 2. q. 5. & multis in locis Institutiones hæc corruptas ipse fateatur Cujac. ut ex eo annotat. Pac. ad d. Inst.*) sententiam illam non satis probare videtur: cum

Kk 2

in d.

*in d. §. 4. expresse fateatur Author, libertum non tam verborum fo-
lennitate, quam jurisjurandi religioneteneri. Don. lib. 14. com. c. 36.
Haenon. D. 14. th. 2. Forst. D. 17. th. 1. Riem. D. 10. q. 2. & Hunn. 3. var. re-
solut. tr. 4. q. 3. (c) Myns. add. pr. Inst. de V. O. Varronem & Festum,
secutus, stipulationem à stipe dici existimat, quod circa stipem, id
est, pecuniam maximè occupata sit. Quæ opinio licet tolerari for-
tassis posset: tamen ab etymologia ab Imp. *in d. pr. in fin.* tradita, re-
cedendum non est: qui stipulationem à stipulo, quod firmum apud
veteres significabat, fortè à stipite descendens, appellari auctor est.
Cui accedit *Paulus lib. 5. Sent. tit. 7.* Nam quamvis Cattellianus Cotta
in memorabil. citante eum *Myns. d. loc.* verbum stipulum ea in signi-
ficatione apud probatos auctores reperiri neget: tamen Justiniano
& Paulo, in antiquitate, testibus fide dignissimis, contrariam asse-
rentibus, potius credendum est: præsertim cum & naturæ stipula-
tionum optimè conveniat, utpotè, quas firmandarum obligatio-
num causa introductas, scribat *Paul. d. loc. Borch. Schneid. & vulgò*
Interpp. ad d. pr. Inst. de V. O. Forst. d. D. 17. th. 2. Unde tamen malè *Go-*
vean. 1. var. lect. 34. Vult. ad d. pr. n. 19. & alii, quos sequitur Treutl. vol.
2. D. 27. th. 1. lit. A. in fin. ibiq; Bachov. concludunt stipulationem, nisi
præcedens aliqua sit obligatio, cui accedat, non subsistere. Nam, ut
fatendum omninò est, stipulationem plerumq; firmamenti gratia
obligationibus alijs accedere: ita negandum vicissim non est, quin
& per se sine ulla alia obligatione subsistere possit, *arg. l. 108. ff. de V. O.*
& l. 6. C. si cert. petat. facit. §. 3. Inst. per quas pers. cu. adquir. l. 10. §. 1. ff. de
acquir. rer. dom. ubi stipulatio inter causas domini acquirendi re-
fertur, alijsq; , ut legato, donationi & c. opponitur. Gædd. d. tr. c. 3. n.
10. & seqq. Arum. d. Exerc. th. 2. Riem. d. D. 10. q. 2. Stipulationis autem
vocabulum totum contractum, qui ex interrogatione, & responsi-
one constat, significat, *l. 5. §. 1. ff. de V. O.* ideoq; non tantum qui inter-
rogat, sed etiam qui promittit, & spondet, stipulari dicitur, *l. 7. ff.*
de eo, quod cert. loc. l. 26. §. 13. ff. de condict. indeb. l. 5. §. 2. ff. de solut. l. 12.
C. de contrah. & committ. stipul. quamvis in strictiori significato aliud
sit stipulari, aliud promittere, *pr. Inst. de duob. reis & c. Baro add. pr. Inst.*
de V. O. Adde El. Rob. D. 15. th. 1. (d) Et quidem verus ac proprius, arg.
§. fin. Inst. de oblig. l. 1. §. 1. ff. de O. & A. l. 9. §. 3. ff. de reb. cred. ubi veris
contractibus annumeratur stipulatio: quia conventio est, l. 1. §. 3. in
*in fin.**

in fin. ff. de pact. conventio autem omnis vel nudum pactum est, vel contractus, *d. l. 2. §. 2. l. 6. l. 7. ff. de pact.* Cum igitur pactum non sit, contractum omninò esse, necesse est. *Gædd. d. tr. c. 2. conclus. 3. Nic. Bellon. 2. Supp. jur. 2. Hænon. d. D. th. 1. lit. A. Forst. d. D. 17. th. 3. Hunn. d. lo. q. 1. Paul. Berens. D. 10. th. 1. q. 1.* Est autem hic contractus tam quoad originem, quam formam, à jure Civ. inventus, *arg. l. 1. ff. locati* ubi ideò locatio & conductio juri Gentium adscribitur, quod consensu contrahatur, & non verbis. E. contractus, qui verbis contrahitur, juris Gentium non erit, sed juris Civilis. Accedit, quod deportati, quos tamen omnes contractus juris Gentium celebrare posse, constat, *l. 15. ff. de interd. & releg. l. 17. §. 1. ff. de pœn. stipulari nequeant, l. 14. §. 1. ff. de novat. & deleg. Vult. ad. d. pr. Inst. de V. O. n. 5. Gædd. d. tr. c. 2. concl. 7. Arum. d. Ex. th. 1. Hænon. d. D. th. 1. lit. B. Dn. Ungep. Ex. 11. q. 1. Paul. Berens. d. th. 2. q. 2. Andr. Gerh. D. 13. q. 6. (e) §. 16. Inst. de inutil. stipul. l. 52. §. 2. ff. de O. & A. l. 1. C. de usur.* Aliàs nec promissor certus esse, posset, nec stipulator: ille, quod alter acceptaturus sit: hic quod alter seriò, & non fortassis jocò promiserit. *Schneid. ad pr. Inst. d. t. n. 17. Treutl. d. D. 27. th. 1. lit. F. ibiq. Bachov. (f) §. 5. Inst. d. t. de inutil. stipul.* Congrua autem responsio intelligitur, si eandem rem, eadem qualitate & quantitate contineat, quæ interrogatione expressa est, *l. 2. §. 3. & ibi Dd. ff. de V. O. (g) d. l. 1. §. 1. & l. 137. ff. d. t.* Itaq; si longius intervallum intercesserit, vel actus extraneus intervenerit, vitiatur stipulatio. Ea enim, quæ actus substantialia sunt, & ad formam pertinent, non possunt intervallis temporum aut locorum ab actu dividi, *arg. l. 21. §. fin. ff. de testam. Wesenb. in w. ff. h. t. n. 12. Gædd. d. tr. c. 4. concl. 2. n. 7. Treutl. d. th. 1. lit. H. Adde Paul. Berens. d. th. 1. q. 3. (h) d. pr. Inst. de V. O.* Atqui etiam pacta fiunt, præcedente interrogatione, & subsequente responsione, *l. 7. §. 12. ff. de pact.* Sed non necessariò, verum ex accidenti, & quasi forte fortuna: quoniam ne quidem verba substantialia sunt pactis: cum etiam nutu, vel signo aliquo, & indicio fieri possint, *l. 2. l. 3. l. 4. ff. de pact.* Deinde alio planè fine intercedit interrogatio & responsio in pactis; ut videlicet, quod placuit, exprimatur; non ut ex ea contractus existat, & negotium aliquod contrahatur, *arg. l. 1. §. 4. ff. de constit. pec. Borch. ad d. pr. Inst. de V. O. n. 5. & de pact. c. 6. n. 2. Duar. ad rubr. ff. de V. O. Wesenb. in w. ff. de pact. n. 7. Gædd. d. tr. c. 1. n. 67. & seqq.* Non addidi de dândo faciendové ali-

quid. Nam id commune est omni contractui & obligationi, *pr. Inst. de oblig.* proindeq; ad genus pertinet: posita autem in definitione generis, vitiosè omninò & tautologicè in definitione speciei repetuntur. *Keckerm. System. logic. lib. 1. Sect. post. c. 2. Reg. 4.*

II.

Stipulari possunt omnes, qui non prohibentur, (a) tam liberi, quàm servi, (b) etiam duo pluresvé. (c) Sed sibi ipsis tantum, non aliis; (d) nisi vel potestati illorum subjecti sint, (e) vel pœnam stipulationi adjecerint, (f) vel aliàs ipsorum interfit. (g)

(a) Prohibentur quidam, quod consentire nequeant. §. 22. *Inst. de inutil. stipul. l. 1. l. 5. l. 83. §. 1. ff. de V. O.* Hoc enim commune habet stipulatio cum reliquis contractibus, ut sine consensu contrahentium consistere nequeat, *arg. l. 1. §. 1. & l. 7. ff. de pact. Gædd. d. tr. c. 3. concl. 1.* Unde apparet furiosum, prodigum, infantem, & similes, qui consentire nequeunt, nec stipulari posse, §. 8. & 9. *Inst. d. t. de inutil. stipul.* Quidam verò prohibentur propter defectum, vel juris, ut deportatio, *d. l. 14. §. 1. ff. de novat. & deleg. Gædd. d. tr. c. 7. conclus. 3.* vel sensus alicujus necessarii, ut muti, surdi: quorum ille verba, quæ ad hunc contractum requiruntur, proferre, hic audire non potest, §. 7. *Inst. d. t. d. l. 1. pr. ff. de V. O. l. 1. §. pen. & ult. ff. de O. & A. Gædd. d. tr. cap. 7. n. 282 & seqq.* Per servum tamen presentem stipulari possunt, *d. l. 1. pr. Infans verò, ne hoc quidem modo, d. §. 9. Inst. de inutil. stipulat. arg. d. l. 1. §. 13. ff. de O. & A. l. 12. ff. ad l. Cornel. de sic. Gædd. d. c. 7. n. 171. Treutl. d. D. th. 2. lit. B.* (b) Servi tamen jus stipulandi non ex sua persona habent, *arg. l. 32. ff. de R. I.* sed ex persona dominorum, quibus per stipulationem adquirent, *pr. Inst. de stipul. servor. l. 1. & l. 15. ff. d. t.* sive sibi, sive domino, sive conservo, sive impersonaliter stipulati fuerint, §. 1. *Inst. d. t.* præterquam si factum, quod servi, non domini personam respicit, in stipulationem deductum sit; tamen enim omnimodò persona stipulantis continetur, §. 2. *Inst. h. t. l. 38. §. 6. ff. d. V. O.* quia facta personæ coherent, & ab una ad aliam non transeunt, *l. 6. §. fin. ff. de stat. lib. & l. 44. pr. ff. de condit. & demon. Baro ad d. t. Inst. de stipul. servor.* Servus hereditarius quoq; rectè stipulatur, & jacenti hereditati ad-

quirit:

quirit: quia ea in plerisq; defuncti personam sustinet, *d. pr. Inst. h. t. & l. § 4. ff. de acquir. rer. dom. exceptis iis, quæ factum personæ, sive operam desiderant, ut est hereditatis aditio, & quæ jus personale continent, ut ususfruct. l. 62. ff. de acquir. rer. dom. & l. 26. ff. de stipul. servor. Giph. add. pr. Inst. h. t.* Servus deniq; communis stipulando singulis proportionibus dominicis acquirit: nisi jussu unius, vel nominatim alteri stipulatus sit, aut res in stipulationem deducta, uni tantum acquiri possit, *§. fin. Inst. d. t. d. l. 1. §. 2. & 4. l. 5. ff. eod.* Quid si alter dominorum jussit, servus verò alteri stipulatus sit? Jubentis causa potior est, si suo nomine, stipulari servum jusserit, *l. fin. C. per quas person. cuj. acq. Baro add. t. Inst. de stipul. serv. in fin. Foman. D. 21. th. 5. lit. D.* (c) Quod generale est, & ad omnes contractus pertinet. Non enim in stipulatione solùm, sed etiam in deposito, commodato, societate, mandato, & quolibet alio contractu duo rei credendi, aut debendi fieri possunt, *l. 9. l. 27. ff. de pact. l. 9. ff. de duob. reis constituend.* Accommodatur autem ut plurimum stipulationi, quia huic magis proprium, magisq; usitatum, ut notat *Giph. ad pr. Inst. d. t. de duob. reis. & Gædd. d. tr. c. 5. concl. 10.* Et rei quidem stipulandi sunt, qui eandem rem, vel pecuniam ex una eademq; causa, suo nomine in solidum stipulati sunt. *§. pen. Inst. d. t. de duob. reis.* Promittendi verò qui eandem rem ex eadem causa singuli in solidum promiserunt: *d. §. penult. l. 2. & l. 3. §. ult. ff. d. t. de duob. reis. Gædd. d. conclus. Schneid. Baro, & Dd. ad pr. Inst. d. t.* Nec interest purè, an sub conditione, vel in diem alter promiserit, *§. fin. Inst. d. t.* Effectus est, quod singulis reis stipulandi solidum debeatur: ita ut quilibet solidum petere, & exigere possit, eiq; si solutum fuerit, tota perimatur obligatio, *§. 1. Inst. h. t. l. 2. ff. eod.* Idem contingit unius acceptilatione, *d. l. 2. l. 16. ff. d. t. l. 13. §. ult. ff. de accept. & novatione, vel delegatione, l. 30. §. 1. ff. de novat. & deleg. Eguin. Baro add. t. Inst. de duob. reis. Conn. 6. comm. 5. n. 12. Duar. ad t. de duob. reis c. 4. Borch. in tr. de pact. c. 2. n. 18. & 19. Pac. cent. 1. q. 96. Petr. Fab. ad l. 173. §. 1. ff. de R. I. Gædd. d. tr. c. 12. n. 9. Paul. Berens. d. D. 10. th. 1. q. 7.* Sic rei quoq; promittendi singuli in solidum tenentur, *d. §. 1. Inst. de duob. reis. l. 3. §. ult. l. 9. §. ult. l. fin. ff. de duob. reis l. 1. & 2. C. eod.* Quod de jure ff. & C. expeditum est: at jure Novellarum pleriq; id correctum existimant, per *Nov. 99. c. 1.* Sed rectè *Cujac. in notis ad h. t.* & alii observarunt, eam non de quibusvis reis loqui, sed iis demum, qui mutuo vice pro se
in vicem

invicem fidejusserunt, Costal. ad l. 17. ff. ad SCtum Vellei. Arum. d. Exerc. 13. th. 9. Niell. D. ad Inst. 22. th. 4. Riem. d. D. 10. q. 7. Unde uno, ex duobus reis debendi cōvento, vel solvente, idem pro alia adhuc parte nihilominus rectè conveniri potest, l. 8. §. 1. ff. de legat. 1. & l. 23. C. de fidejuss. Bronch. cent. 4. ass. 52. Hæon. d. D. th. 9. (d) §. 18. Inst. d. t. de inutil. stipul. l. 38. §. 17. ff. de V. O. l. 3. C. de inutil. stipul. Gædd. d. tr. c. 10. concl. 1. ne jure quidem Canonico: quia discrimen inter jus Civile, & Canonicum inducendum non est, nisi expressum sit, arg. c. 1. ext. de nov. oper. nunc Gædd. d. c. 10. n. 13. Fach. 3. contro. 19. Hæon. d. D. 14. th. 15. Unde nec Notarii aliis rectè stipulantur, arg. d. §. 18. & d. l. 38. §. 17. Fachin. 8. contro. 91. Bronch. cent. 4. ass. 46. Hæon. d. D. th. ult. Guilb. Forst. d. D. 17. q. 11. Solutionis tamen faciendæ causa alia persona, stipulationi adjici potest, cum ea facti sit, §. 4. Inst. d. t. de inutil. stipulat. l. ult. §. fin. ff. de V. O. Quod si quis sibi, & extraneo stipuletur, dimidia tantum pars debetur, si stipulatio sit dividua, d. §. 4. vers. quod si quis & c. l. 110. ff. de V. O. Pac. cent. 3. c. v. 1. q. 60. Elias Rober. D. 15. th. 7. (e) d. §. 4. Inst. de inutil. stipulat. d. l. 38. §. 17. d. l. 3. C. de inutil. stipul. Tum enim propter jus potestatis, dominus & pater quodammodo ipsi stipulari videntur, arg. l. 15. ff. de stipul. servor. Idem est, si pater, aut dominus, filio, vel servo stipulatus sit, d. §. 4. in fin. (f) Hic enim non quæritur, cujus negotium gestum sit, vel an intersit, sed utrum commissa sit stipulatio, d. §. 18. in fin. d. l. 38. §. 17. ff. de V. O. Gædd. d. c. 10. concl. 3. (g) Veluti si quis contutori suo cesserit administrationem, & rem pupilli salvam fore stipulatus sit. Hic cum & ipsius stipulantis intersit, utpotè cujus periculo futura sit administratio, valet stipulatio, §. 19. Inst. d. t. d. l. 38. §. 20. Gædd. d. c. 10. concl. 2. Bronch. cent. 4. ass. 39. Elias Rober. d. D. 15. th. 9.

III.

In stipulationem deducuntur res omnes, (a) quæ sunt in commercio, (b) & facta (c) possibile: (d) verum propria tantum, non aliena. (e)

(a) Tàm mobiles, quàm immobiles, tàm corporales, quàm incorporales, pr. Inst. de inutil. stipul. §. fin. Inst. de servit. §. 1. Inst. de usufr. tàm propriæ, quàm alienæ, l. 51. ff. h. t. l. 38. §. 4. ff. eod. d. pr. Inst. de inutil. stipul. Gædd. d. t. c. 6. n. 12. (b) Id est, quæ dominio, & usui nostro subijci possunt, neq; ab eo vel natura, vel jure exemptæ sunt, aut prohibitæ:

hibitæ. Natura communi hominum commercio exemptæ sunt res, quæ neq; in rerum natura sunt, neq; futuræ sperantur, ut hyppocentaurus, l. 97. pr. ff. h. t. homo mortuus, §. 7. Inst. d. t. de inutil. stipul. homo non moriturus, l. 8. C. h. t. ædes deustæ, l. 1. §. 9. ff. de O. & A. & l. 57. ff. de contrab. empt. Item, liber homo, §. 2. Inst. d. t. & l. 83. §. 5. ff. h. t. Par enim omnium hominum conditio est, si naturam intueamur. §. 2. Inst. de I. N. G. & C. & pr. Inst. de libertin. Jure commercio exemptæ sunt, res sacræ, religiosæ, sanctæ, & si quæ præterea publico usui & oportunitati destinatæ sunt, d. §. 2. Inst. de inutil. stipul. & l. 1. §. 8. ff. de O. & A. d. l. 83. §. 5. ff. h. t. Sufficit autem stipulatorem rei promissæ habere commercium, etiam si promissor non habeat: sibi enim imputet, quod promisit rem, cujus ipse commercium & jus possidendi non habet, l. 34. ff. h. t. Et hæc stipulatio, in quam res commercio exempta deducta est, ad eò inutilis est, ut ne quidem valeat, si ex postfacto res in commercio esse cæperit, d. §. 2. & 3. Inst. de inutil. stipul. & d. l. 83. §. 5. ff. de V. O. Quod enim ab initio nullum est, ex postfacto non convalescit l. 29. ff. de R. I. (c) Factum propriè hîc accipimus nudum à juris translatione, & illi quod est dare, oppositum. Dare enim est, dominiũ transferre, l. 75. §. fin. ff. de V. O. facere, quicquid ita fit, ut eo ipso neq; res, neq; jus in stipulatorem transferatur: ut iter fieri, l. 4. ff. h. t. domũ ædificare, l. 74. ff. eod. infulam fabricare, & similia, l. 84. ff. d. t. Sub facti autem appellatione, & non factum comprehendimus: veluti si per te factum non erit, si capitolium intra biennium non ascenderis, si Sejo non nupseris &c. §. fin. Inst. h. t. l. 2. §. 5. l. 8. l. 27. §. 1. & l. 50. ff. h. t. (d) Nam impossibilium nulla est obligatio, l. 185. ff. de R. I. Impossibilia autem quædam sunt naturâ: ut si quis promittat digito se cælum velle attingere, vel mare epotare: quædam lege: ut si quis promittat homicidium, vel sacrilegium committere, §. 23. Inst. d. t. de inutil. stipul. l. 26. l. 123. ff. de V. O. & l. 15. ff. de condit. instit. Q. An stipulatio, quæ turpem causam continet (veluti, si ut maleficium fiat, vel non fiat, pecunia repromittatur,) ipso jure nulla sit, an exceptione infirmetur? Distinguitur, ut si quidem causa stipulationis verbis comprehendatur, ipso jure, l. 7. §. 3. ff. de pact. l. 4. C. de inutil. stipul. sin minus, ope exceptionis inanis sit, l. pen. ff. condit. ob. turp. caus. Accurs. add. l. 7. §. 3. ff. de pact. Baro. add. §. 23. Inst. de inutil. stipul. Elias Rober. d. D. 15. th. 10. Niell. D. 22. th. 10. (e) Nemo enim alienum factum promittendo obligatur,

gatur, §. 3. *Inst. d. t. de inutil. stip. l. 38. pr. & §. 1. l. 83. pr. ff. de V. O.* Nisi quis factum illorum, quos in potestate habet, puta, servi aut filii fam. promiserit, l. 24. §. 6. *ff. de damn. infect. vel pœnam stipulationi adjecerit.*
Q. §. 20. *Inst. d. t. de inutil. stip. l. 71. ff. de V. O.* Quid igitur si quis promiserit se curaturum, vel effecturum, ut alius det vel faciat? Et tùm omninò tenetur, d. §. 3. *Inst. de inutil. stipul.* quia proprium promisit factum, arg. l. 81. *pr. ff. de V. O.* Tenetur autem præcisè ad effectum, nec liberatur præstando omnem diligentiam, sed si invanum laboraverit, ad id, quod interest, condemnatur, arg. l. fin. §. fin. *ff. de reb. cred. l. 26. C. de fidejuss.* qui enim se effecturum quid spondet, cum effectu spondere censetur, arg. l. 5. §. 2. *ff. ne quis eum, qui injus voc. Bronch. cent. 4. aff. 40. Gœdd. d. tr. c. 6. n. 195, Fach. 3. controuv. 20. Arum. d. Exerc. 13. th. 10. Elias Rober. d. D. th. 6.*

IV.

Perficitur stipulatio interrogatione & responsione congrua, (a) eaq; vel purè, (b) vel in diem, (c) vel sub conditione; (d) vel sub die & conditione simul facta. (e)

(a) Olim interrogatio hæc, & responsio certa requirebat, & solennia verba, eaq; latina tantum: hodiè qualiacunq; sufficiunt, sive Latina sint, sive Græca, sive alterius cujuscunq; linguæ, modò uterq; ejus linguæ intellectum habeat, & congruè ad interrogata respondeatur, §. 1. *Inst. h. t. de V. O. §. 5. Inst. de inutil. stipul. l. 7. §. fin. ff. de V. O. l. 10. C. de contrah. stipulat.* Congruè autem responderi intelligitur, si responsio eandem rem, eadem qualitate & quantitate contineat, quæ in interrogatione expressa est. d. l. 7. §. 3. Unde si aliud pro alio respondeatur, veluti si stichum stipulanti, Pamphilus promittatur, inutilis est stipulatio, arg. d. l. 1. §. 3. & 5. *ff. de V. O. Gœdd. d. tr. c. 4. n. 90.* Idem est, si mutata interrogationis qualitate, respondeatur: puta, si quis purè stipuletur, alter sub die, vel conditione promittat, vel contra. Nam & hîc vitiosa est stipulatio: quia congruè ad interrogata responsum non est, §. 5. *Inst. d. t. de inutil. stipulat.* nisi tamen stipulatori diversitas responsionis ilico, i. e. in continenti placuerit, d. l. 1. §. 3. *in fin.* Tum enim complacentia illa & approbatio, omnem interrogationis & responsionis diversitatem tollit, & ad paritatem reducit. *Don. & Duar.*

& Duar. ad d. l. 1. Gædd d. c. 4. n. 37. Bronch. cent. 4. aff. 37. Hunn. d. lib. 3.
 var. resol. tr. 4. q. 5. Quod si verò servata interrogationis qualitate quan-
 titas solùm mutetur, & plus, vel minus promittatur, quàm stipula-
 tum fuerat, etiam sine nova approbatione valet stipulatio, quoad mi-
 norem summam: ut si 10. stipulanti 20. promittantur, vel vice versa,
 obligatio in 10. contracta est: quia minor summa majori inest, d. l. 1.
 §. 4. ff. h. t. & semper in summis id quod minus est, sponderi videtur.
 l. 83. §. 3. ff. d. t. Don. & Duar. ad d. l. 1. Arum. d. Exerc. th. 5. Bronch. d. aff.
 37. Elias Rober. d. D. th. 8. Bachov. ad Tr. d. D. th. 1. lit. G. **Q** Si stipula-
 tio impersonaliter concepta sit, putà, dabis? dabitur, an vitiosa sit?
 Quod negamus, quia satis congrua est responsio, quæ ex præceden-
 te interrogatione facilè explicari potest, ut promissor hoc respondi-
 se intelligatur, dabitur à me, quem dare vis. Don. d. lib. 4. com. 36. Gædd
 d. c. 4. n. 29. & seqq. Bronch. d. cent. 4. aff. 38. Arum. d. Ex. th. 4. Forst. d.
 D. 17. th. 9. Hænon. d. D. th. 4. Illud quoq; hîc notandum, quod in-
 terrogatio illa, & responsio, utroq; loquente & præsentem fieri debeat.
 Ideoq; nec inter absentes, d. l. 1. pr. ff. de V. O. nec nutu, nec litteris, et-
 tiam inter præsentem stipulatio contrahi potest: quia non quævis ver-
 ba, sed ore inter præsentem prolata stipulationem constituunt, d. l. 1.
 §. 2. Gædd d. tr. c. 3. n. 190. Vacon. à Vacun. declar. 68. n. 12. Bronch. d. cent.
 4. aff. 43. Elias Rober. d. D. th. 2. Hænn. d. D. th. 14. Dn. Ungep. d. Exerc.
 11. th. 4. Idq; adeò verum est, ut ejusmodi inutilis stipulatio promif-
 forem, ne quidem naturaliter obliget, d. §. 2. cum nec pacti utilis vim
 habeat. Pacta enim, nisi de animo paciscendi constet, non præsu-
 muntur, l. 7. §. 12. ff. de pact. Gædd d. c. 3. n. 198. Niell. d. D. th. 13. (b) Sim-
 pliciter sine ulla diei, vel conditionis adjectione: veluti quinq; aure-
 os dare spondes? Spondeo. Et ex hac stipulatione confestim eadem
 die sine ullo laxamento agi potest, §. 2. Inst. h. t. & l. 128. §. 1. ff. eod. Hu-
 manitatis tamen intuitu modicum tempus ad solvendum dandum
 est, l. 21. ff. de Judic. nec enim statim creditor debitorem cum sacco
 adire debet, l. 105. ff. de solut. Gædd. ad l. 213. pr. ff. de V. S. Bronch. cent. 4.
 aff. 49. Eli. Rober. d. D. th. 3. Paul. Berens. d. D. 10. th. 1. q. 5. Niell. d. D. 21. th.
 fin. Hænon. d. D. th. 4. Purè autem facta est, & illa stipulatio: decem
 aureos annuos dare spondes? §. 3. Inst. d. t. Quamvis enim plurium
 summarum sit, tamen cum summa 10. aureorum non nisi semel sit
 expressa, unica est stipulatio, l. 86. ff. h. t. quæ pro parte pura, pro par-

te in diem esse nequit, *arg. l. 84. ff. de R. I.* sed ut primi anni, ita & reliquorum aurei 10. purè debentur, & ad heredes transmittuntur, ita ut promissor, ejusq; heres, alia ratione tutus esse non possit, quàm exceptione pacti, vel doli, si expressè vel tacitè ad temp⁹ mortis concepta sit, *d. §. 3. Inst. h. t. l. 46. §. 1. ff. eod. l. 44. ff. de oblig. & act.* Aliud est in legato annuo, quod conditionale est, *l. 4. ff. de ann. legat.* quia non unum, sed plura legata sunt, *d. l. 16. §. 1. ff. de V. O. l. 10. ff. quand. dies leg. l. 105. §. ult. ff. de condit. & demonst. l. 35. §. fin. ff. de mort. caus. donat. Eguin. Baro add. §. 3. Inst. h. t. Gædd. d. tr. c. 8. n. 154.* (c) Adjecto die, quo pecunia solvatur, veluti 10. aureos primis Calendis Martiis dare spondes? Et hîc 10. aurei statim quidem debentur, sed peti cum effectu ante, diei adventum nequeunt, *d. §. 2. Inst. h. t. §. fin. Inst. de inutil. stipul. & l. 138. ff. de V. O.* cum obstet petenti exceptio quasi plus petat tempore, *§. 10. Inst. de Except. & §. 33. Inst. de Act. Bachov. ad Trent. d. D. th. 6. lit. C.* Imò ne ipso quidem die, in quem stipulatio facta est, peti potest: quia totus is dies arbitrio solventis tribui debet, *d. §. 2. Inst. h. t. & l. 41. §. 1. in fin. ff. eod. El. Rober. d. D. h. 4.* Adjicitur autem stipulationi dies vel expressè, vel tacitè, quando ipsa rei, vel facti natura, aliavè causa, temporis dilationem inducit, *§. 5. Inst. h. t. l. 73. & l. 137. §. 2. ff. eod. Schneid. ad d. §. 2. Inst. h. t.* (d) Quando conditio aliqua adjicitur: ut si Consul factus fuerit Titius, si Capitolium ascenderit &c. Ex hac autem neq; obligatio, neq; actio oritur, antequam existat conditio, sed spes tantum est debitum iri, *§. 4. Inst. h. t.* quæ tamè spes, si prius, quàm conditio extet, mors nobis obtigerit ad heredes transmittitur, *§. 4. l. 57 ff. d. t. secus quàm in legatis & hereditatibus fieri, supr. diximus, D. 9. th. 6. lit. G. Gædd. d. tr. c. 9. n. 167. & seqq. Arum. D. Exerc. th. 6. El. Rober. d. D. th. 5. Haenon. d. D. th. 5.* (e) In qualicet conditio existat, peti tamen, nequit promissum, nisi & dies simul præterierit, v. g. si navis ex Asia venerit, tùm ex eo die intra menses 4. mille dare spondes? Et si hîc navis illa, de qua convenit, ex Asia venerit, exitus tamen quarti mensis expectandus est, *l. 186. ff. de R. I.* Sed quid si conditio sit in non faciendo, veluti, si calendis Stichum non dederis, 10. dare spondes? *l. 8. ff. h. t.* si Titius intra Calendas in Italiam non venerit, centum dabis? *l. 70. ff. eod.* an & tum post conditionis defectum, dies adhuc expectandus erit? Et hîc distinguendum est, utrum conditio collata sit in personam promissoris, an verò in casum, vel personam extranei.

Priori

Priori casu placet totam obligationē sub conditione, in diem quoq; collatam videri, ideoq; existente conditione, dies adhuc expectandus est, *d. l. 8. ff. h. t.* Posteriori verò, existente conditione, stipulatio etiam ante diem committitur, *d. l. 10. ff. eod. Gædd. d. tr. c. 8. n. 166. Arum. d. Exer. th. 8. Trentl. d. th. 6. lit. G. & ibi Bachov.*

V.

Oritur ex hoc contractu duplex actio, conditio certi, cum certum quid: (a) & actio ex stipulatu, cum incertum in stipulationem deductum est. (b) Quibus conventus debitor, in dandi quidem stipulationibus, omninò ad dandum tenetur; (c) in faciendi autem liberatur præstando interesse (d)

(a) *pr. Inst. h. t. l. 74. ff. eod.* Est autem & hæc conditio certi specialis ex stipulatu competens, *d. pr. Inst. h. t. Tr. d. D. th. 8. lit. B. Adde supr. D. præced. th. 6. lit. A.* (b) *d. pr. Inst. h. t.* Incertain autem appellamus, non quod toto suo genere ita incertum est, ut definiri nequeat, (ejusmodi enim stipulationes nullius momenti sunt, *l. 115. ff. h. t.*) sed quod specietantum incertum est, & quamvis quid, quale, quantumq; sit, non statim appareat, declarari tamen potest, *l. 75. ff. h. t. & ibi Wesenb. in w. ff. n. 14. Theoph. Eguin. Baro. Schneid. ad pr. Inst. h. t.* (c) *d. l. 75. § fin. & l. 25. § 1. ff. de contrah. empt.* Nihil enim aliud est in obligatione, quàm ut detur id, de quo convenit, ideoq; nihil aliud in solutione, vel petitione esse poterit, *Gædd. d. tr. c. 9. n. 17.* Exceptis paucis casibus, de quibus *post. Iason. Gædd. d. loc. n. 18.* Sed id ipsum tantum in obligatione est, quod in stipulationem deductum est; adeò, ut si quis fundum stipulatus sit, ne fructus quidem veniant, qui stipulationis tempore fuerunt, *l. 78. § 1. ff. h. t.* Quod enim palàm verbis expressum non est, in stipulatione pro omisso habetur, *l. 99. ff. eod. Arum. D. ad w. 22. th. 16.* (d) *l. 72. l. 81. l. 112. § 1. ff. h. t. l. 13. § fin. l. 11. in fin. ff. de re judic.* In faciendi enim stipulationibus ab initio quidem solum factum inest in obligatione: *Baro ad d. pr. Inst. h. t.* Sed si factum non sit, quod promissum est, interesse vi ipsa & sententia contrahentium continetur, *arg. l. 1. ff. de penuleg. l. 1. § 1. ff. ad l. Falcid. & l. 115. § 2. ff. de V. O.* Ratio est, quia coactio ad factum fieri non potest sine vi, & impressione, quam ex osam habet legislator, quia civis Romani libertatem imminuit, *l. 71. § 2. ff. de*

condit. & demonstr. l. 2. ff. de lib. hom. exhib. Duar. ad d. l. 13. ff. de re judic. Gædd. d. tr. c. 9. n. 30. Hænon. d. D. th. 8. Forst. d. D. 17. th. 6. Niell. D. 22. th. fin. Dn. Ungep. d. Exer. 11. q. 2. Q. An commissa stipulatione faciendi, adhuc possit agi ad factum, an verò tantum ad interesse? Posterius verum est, per l. ult. ff. si quis in jus vocat. non jerit. & arg. l. 68. ff. h. t. Duar. ad d. l. 72. ff. h. t. Trentl. d. D. th. 1. lit. L. ibiq; Bachov.

VI.

Stipulationis species (a) quædam (b) est fidejussio, (c) qua alterius (d) obligationem ita in fidem nostram suscipimus, (e) ut principalis debitor nihilominus obligatus maneat. (f) Fidejubere possunt omnes, qui stipulari, (g) excepta muliere, (h) milite, (i) & clerico in causa laici. (k)

(a) *l. 8. pr. ff. de fidejuss. & l. 12. C. eod.* Est enim stipulatio, vel principalis, vel accessoria, *l. 5. §. 7. & 2. ff. de V. O.* Principalis est, quæ per se subsistere potest etiam sine ulla alia obligatione, *ut. th. 1. dictu.* & propter nos, nostramq; causam suscipitur. Accessoria est fidejussio, quæ semper obligationem præ existentem requirit, cui accedat, *l. 3. ibi accessionis loco l. 34. ff. d. t. de fidejuss. Gædd. d. tr. c. 5. conclus. 2.* Fidejussio igitur non aliter fieri potest, quam stipulatione interposita, *d. l. 8. ff. h. t. & d. l. 12. C. eod. non pacto nudo. l. 27. C. de locat. ne quidem jure Canonico. Costal. in l. 7. ff. de pact. Vasq. 1. illustr. q. 33. n. 2. 3. Elias Rober. D. 16. th. 2. Adde quæ supr. D. preced. th. 2. lit. C. dicta sunt. Quod si tamen scriptum sit fidejussum esse, stipulatio solenniter intervenisse præsumitur, §. *fin. Inst. de fidejuss. ubi Baro, l. 30. ff. de V. O. & ibi Gloss. & Dd.* (b) De aliis stipulationis speciebus, & divisionib⁹ videri potest. *Wes. in w. ff. de V. O. n. 6. Vult. lib. 1. Jur. Rom. c. 39. Don. d. lib. 14. c. 36.* (c) Quæ interdum & sponsio appellatur, ut *apud Cic. passim in Ep. ad Attic.* quamvis aliàs sponsionis vocabulum latius pateat, & omnem omninò promissionem comprehendat, *arg. l. 7. ff. de V. S. & ibi Gædd.* Unde apparet erroneam esse Dd. traditionem, quod sponsor à fidejussore in eo differat, quod sponsor spontè, fidejussor autem rogatus pro alio interveniat. Nam & fidejussorem rectè accedere, licet rogatus non sit, patet *ex l. 5. pr. ff. de neg. gest. & l. 30. ff. de fidej. Ant. Her. de fidej. c. 3. n. 33. Gædd. d. tr. c. 5. n. 28. Arum. d. Exer. 13. th. 22. Hænon. D. 15. th. 1. lit. D. Quomodo verò manda-**

COL

tor, constitutor & ex promissor à fidejussore differant, tradit *Schneid.*
adpr. Inst. h. t. Gædd. d. c. 5. n. 18. El. Rober. d. D. th. 1. (d) Fidejussio enim
semper alienæ obligationi, nunquam propriæ accedit, *d. pr. Inst. h. t. d.*
l. 5. §. 2. ff. de V. O. (e) Majoris securitatis causa, ut creditoribus diligen-
tius cautum fit, *d. pr. Inst. h. t. & §. fin. Inst. de replic.* (f) *l. 4. l. 5. l. 23. C. de*
fidejuss. In quo differt à novatione & delegatione, quibus prior obli-
gatio perimitur, *l. 1. ff. de novat. l. 8. §. 3. ff. eod.* De definitione fidejussio-
nis adde *Hering. d. c. 3.* (g) *arg. d. l. 8. pr. ff. & d. l. 12. C. de fidejuss. sive patres-*
fam. sint, sive filii, l. 3. §. 5. ff. de pecul. & l. 8. C. de fidejuss. El. Rober. d. D. th. 3.
etiam servi in causa peculiari, *d. l. 3. §. 5. ff. de pecul. & l. 19. ff. de fidejuss.* Sed
an extra causam peculiari fidejubentes saltem naturaliter obligantur?
Affirmat *Treutl. vol. 2. D. 28. th. 2. lit. D. & ibi Bach.* (h) Per SCtum Velle-
janum, quo plenissimè provisum est, ne mulieres pro ullo interce-
derent, *l. 1. pr. l. 2. §. 1. l. 4. ff. ad SCtum Vellej. l. 18. C. eod. Conn. 6. Conn. ult. n. 1.*
Idq; in foro etiam poli procedere rectè post alios docet *Gædd. d. tr. c. 7*
n. 289. Paul. Berens. d. D. 10. th. 2. q. 1. Renunciare tamen SCto huic, ut-
potè in favorem illarum principaliter introducto, *d. l. 2. §. 1. ff. ad SCtum*
Vellej. etiam extra judicium possunt, *arg. l. fin. §. 4. ff. d. t. si modò de be-*
neficio hoc, quale illud sit, & qua prærogativa suffultum, certioratæ
fuerint: cū foeminis propter sexus infirmitatem jus ignorare permis-
sium sit, l. 9. ff. de jur. & fact. ignor. Petr. Fab. ad l. 2. ff. de R. I. & ibi Philip.
Matth. n. 22. & seqq. Geil. 2. obser. 77. Gædd. d. c. 7. n. 298. Fach. 2. controu. 60
Elias Rober. d. D. th. 4. & Coron. 1. Hen. D. ad Reg. Jur. 1. ad l. 2. q. 4. Treutl.
d. D. th. 2. lit. B. & vol. 1. D. 25. th. 4. lit. F. De jurata renunciatione
quæritur, an etiam absq; certioratione valeat? Affirmat, *Geil. d. obs.*
77. n. 3. Fach. d. lib. 2. c. 61. Gædd. d. loc. Sed negativa verior videtur, per ea,
quæ habet *Hen. d. q. 4. in fin.* (i) *l. 31. C. de locat. l. 8. §. 1. ff. Qui satisd. cog.*
Schneid. ad §. fin. Inst. h. t. Ratio est, ne quæsito forensium negotium
colore, à militia avocentur, vel exactionibus vexentur cum militan-
dum est, *d. l. 31.* Quod privilegium rectè ad nostri quoq; temporis mi-
lites extendit, *Gædd. d. c. 7. n. 302. Treutl. d. D. 28. th. 2. lit. C. ibiq; Bach.*
Adde Her. d. tr. c. 7. n. 160. & seqq. (k) Nam & clerici non minus, quàm
milites omninò à fidejubendo arcentur. *Nov. 123. c. 6. c. 1. c. pen. ext; de*
fidej. & arg. c. 1. ext. ne Cleric. vel Monach. & c. Ant. Her. d. tr. c. 7. n. 251. Bach
ad Tr. d. th. 2. lit. E. Sunt præterea personæ, quæ fidejubere quidè non
prohibentur, sed quas tamen creditores certis ex causis jure recusare
possunt.

possunt. Earum autem causarum tres ferè esse videntur. 1. ætas minorum, qui ipso jure fidejussores esse non prohibentur, sed propter restitutionis beneficium licitè recusantur, l. 7. §. 3. ff. de minor. l. 48. §. 1. ff. de fidejuss. l. 1. C. de filiofam. minor. Adde Treutl. d. th. 2. lit. A. in fine. ubi casus quosdam recenset, quibus minor in integrum non restituitur, 2. paupertas, l. 2. ff. qui satisdar. cog. 3. Privilegium fori: quia idoneitas fidejussoris non tantum ex facultatibus, sed etiam ex facilitate conveniendi æstimatur, l. 2. pr. ff. Qui satisd. cog. l. 1. pr. ff. si quis in jus voc. non jerit. Treutl. d. th. 2. lit. E. ibiq³. Bach. Quod si quis ejusmodi fidejussores semel admisit, postea iterum rejicere, & alios petere non potest, arg. l. 19. ff. de R. l. l. 5. ff. si cert. pet. l. 223. ff. de V. S. Elias Rober. d. D. th. th. 7. Tr. d. th. 2. lit. F. nisi fortè ex postfacto suspicionis causa superveniat, arg. l. 4. ff. de Prætor. stipul. l. 8. §. 3. l. 10. §. 1. ff. qui satisd. cog. Quod non in judicialibus tantum, sed aliis etiam fidejussoribus obrinere tentabimus, cum Bach. ad Treutl. d. loc.

VII.

Accedere fidejussor potest omni omninò obligationi, (a) sive ex contractu orta sit, (b) sive ex delicto, (c) contracta jam sit, seu contrahenda. (d) In durio rem (e) tamen causam obligare se nequit: (f) quamvis in levio rem omninò possit. (g)

(a) §. 1. Inst. h. t. l. 1. l. 8. §. 1. eod. Nec refert civilis sit, an naturalis tantum, d. §. 1. l. 7. ff. h. t. Bronch. cent. 4. ass. 60. Unde & pro pupillo, furioso, prodigo naturaliter obligato fidejussor intervenire potest, l. 2. l. 16. §. 3. l. 25. ff. h. t. Gædd. d. tr. c. 7. n. 126 & seqq. Br. d. cent. ass. 55. Hæn. d. D. 15. th. 3. Tr. d. D. 28. th. 3. lit. B. Pro deportato autem, in quo rota extincta est obligatio, fidejussor accipi non potest, l. 47. ff. d. t. Ant. Hering. d. tr. c. 10. n. 26. adeò, ut & is qui pro eo fidem suam interponit, pænam rezeptorum incurrat. arg. l. 4. ff. adl. Iul. majest. l. 50. §. 2. ff. de furt. Geil. lib. 2. de pac. publ. c. 10. n. 36. Quod si verò ante deportationem fidejussor legitime pro eo intervenerit, deportatione non liberatur, l. 11. C. de fidejuss. Costal. in l. 5. ff. Qui satisd. cog. & in l. 24. §. fin. ff. sol. matr. El. Rober. d. D. th. 6. (b) Sive re, sive verbis, sive litteris, sive consensu contractum fuerit, d. §. 1. Inst. h. t. & d. l. 8. §. 1. ff. eod. Unde pro dote etiam conservanda à marito rectè fidejussorem dari verius est, arg. d. l. 8. §. 4. & l. 4.

et l. 4. §. fin. ff. si quis caut. in iud. sist. caus. & c. Quamvis enim ad dan-
dum fidejussorem cogi nequeat, l. 1. & 2. C. ne fidejuss. dot. dentur: tamen
quin volens huic suo juri renunciare possit, & fidejussorem constitu-
ere majoris securitatis causa, dubitandum non est: cum generaliter
omni obligationi fidejussor accedere possit, d. l. 8. §. 6. Conn. 8. com. 9. n.
8. Duar. c. 4. de dotib. Br. cent. 3. ass. 13. Hæn. d. D. th. 4. Dn. Ungep. Ex. 11. q. 7.
(c) d. l. 8. §. 5. l. 56. §. fin. ff. de fidejuss. ubi tamen distinguendum est, ut si civi-
liter agatur, vel etiam criminaliter ad pœnam pecuniariam, fidejussi-
oñi indistinctè locus sit: si verò ad pœnam corporalem, pro ipsa qui-
dem pœna principali, adeoq; de judicatio solvendo fidejussor nō ad-
mittatur: quia peccata suos tenere debent authores l. 22. C. de pen. &
absurdum est innocentes morte affici, l. 5. ff. eod. sed tantum de judicio
sistendo, ut iudex pro ratione circumstantiarum, & qualitate delicti
reum vel in carcerem conjicere, vel admissis fidejussorib; desistendo,
sub pœna pecuniaria, relaxare possit, l. 1. 2. 3. 4. ff. de custod. & exhib. re-
or. l. 6. §. 3. C. de appell. Wes. in w. ff. de fidejuss. n. 4. Gædd. d. tr. c. 6. n. 4. 6. A-
rum. d. Exerc. 13. th. 13. Hæn. d. D. th. 5. Bach. ad Tr. vol. 1. D. 5. th. 6. lit. E. &
vol. 2. D. 28. th. 3. lit. A. Adde Schneid. add. §. n. 8. 9. 10. Inst. h. t. (d) Nec enim
præsenti tantum, sed & futuræ obligationi fidejussor rectè accedit, §.
3. Inst. h. t. l. 4. pr. l. 6. §. 2. ff. eod. Giph. & Vult. ad d. §. 3. Inst. h. t. (e) Id est,
ut plus debeant, quàm reus principalis. Plus autem debetur non tan-
tum quantitate, sed etiam causa, tempore, & locò. §. 5. Inst. h. t. l. 8. §. 7.
l. 16. §. 1. ff. eod. Wes. in w. ff. n. 5. & Schneid. ad d. §. 5. Vasq. illust. contr.
48. n. 6. (f) d. §. 5. d. l. 8. §. 7. & 8. Absurdum enim est ut plus sit in acces-
sione, quàm in principali, d. §. 5. & l. 34. ff. d. t. Quæ ratione commu-
niter placuit, fidejussorem in duriores causas acceptum, ne qui-
dem ad id obligari, quod principalis debet, per d. l. 8. §. 7. Quod tum
demum verum videtur, cum revera alia est obligatio, ut cum debitor
sub conditione, fidejussor purè promittit d. §. 7. in fin. at cum non est
alia obligatio, sed major tantum summa, quam debet principalis,
promittitur, valere hîc fidejussionem saltem in concurrente summa
æquum est: cum minor quantitas regulariter insit majori, & pars
utilis per inutilem vitari non debeat, l. 1. §. 4. & 5. ff. de V. O. & arg. §. 8.
Inst. de Mand. Wesenb. d. loc. Baro, & Myns. add. §. 4. n. 5. Bronch. cent. 4.
ass. 5. 4. Arum. d. Exerc. th. 15. Trentl. d. D. 28. th. 4. lit. B. & ibi Bach. Quam-
vis autem ut dictum in plus accipi fidejussores nequeant, efficacius

Mm

tamen.

dictum à custodia
securitate quoniam
Dolor præstat.

tamen ad eandem causam adstringi possunt, l. 7. l. 16. §. 4. l. 25. ff. h. r. pu-
tà sub juramento, cum principalis simpliciter obligatur, Vult. lib. 1. l. 1.
rispr. Rom. c. 39. aut in instrumento guarentigato, quod paratā executi-
onem habeat, aut adjectione alicujus poenæ, vel facti. Wes. d. n. 5. Hinc
quidam inferunt ad carceres quoq; obligare se fidejussores posse. Tr.
d. th. 4. lit. F. Quod nos non aliter admittimus, quàm si & principalis
debitor, ita obligatus fuerit: quia aliàs non efficacius, sed in durio-
rem causam acceptus videretur, Hunn. d. lib. 3. tr. 5. q. 6. (g) d. §. 5. d. l. 8. § 7
putà in partem pecuniæ, vel sub conditione, l. 9. ff. h. r.

VIII.

Tenetur fidejussor æq; ut principalis, (a) ad omne
id, quod tempore fidejussionis in obligatione fuit, sive
fors sit, sive usura. (b) Et jure quidem veteri etiam ante
principalem conveniri poterat: (c) sed hodiè habet be-
neficio excutiendi prius principalis. (d)

(a) Nec ipse tantum, sed & heres, quamvis ejus nulla expressè
facta sit mentio, §. 2. Inst. h. t. l. 9. ff. de probat. l. 13. C. de contrah. & committ.
stip. Myns. ad d. §. 2. El. Rober. d. D. th. 12. Q. Si Fidejussor ad certum tem-
pus se obligaverit, idq; eo inscio à creditore debitori prorogatum fu-
erit, an adhuc teneatur? Quod affirm. ratione temporis præteriti, nō
futuri, cujus periculo eum liberari non dubitamus, arg. l. 13. §. 11. ff. loc.
& l. 7. C. eod. Si modò dies limitandæ obligationis, non solutionis gra-
tia sit adjectus, Geil. 2. obs. 30. n. 11. Myns. cent. 6. obs. 53. Fach. 2. obs. 58. Ant.
Hering. d. tr. c. 20. §. 12. Gædd. d. tr. c. 12. n. 54. Arum. d. Exerc. th. 20. El. Rob d
D. th. 11. Hen. d. D. th. 14. Sed potest nē fidejussor ante obligationem fi-
nitam, à principali debitore liberationē & dimissionem petere? Neg.
per l. 38. §. 1. ff. Mandat. l. 10. C. eod. nisi justa aliqua causa id suadeat, Don. 13
Comm. 13. Geil. 2. obs. 29. Paul. Berens. d. D. th. 2. q. 5. (b) l. 16. §. 1. ff. h. t. l. 10. C
eod. l. 8. C. quodcum eo, qui in al. potest, & c. Et quidem ad id tantum. Nam
de eo, quod ex mora, vel culpa principalis accesserit, eum non teneri
æquius est, l. 8. ff. d. eo, quod cert. loc. l. fin. ff. de fidejuss. nisi in omnē cau-
sam vel expressè, l. 54. ff. locat. vel tacitè fidejusserit, l. 10. ff. rem pupill. sal-
vam for. Wes. d. loc. n. 5. Coras. 2. Miscell. 12. n. 8. Gædd. d. tr. c. 11. n. 123. Arum
d. Exerc. th. 16. Tr. d. D. th. 5. lit. A. ibiq; Bach. Paul. Berens. d. th. 2. q. 4. (c) Erat
enim eo jure in creditoris arbitrio convenire vel fidejussorem, vel re-
um prin-

um principalem, prout visum ipsi fuerat, l. 3. l. 5. & l. 23. C. de fidejuss.
Quod jus etiam sequitur incluta Respubl. Norica in Reform. tit. 19. l. 2.
(d) Ita, ut teneatur creditor prius convenire debitorem principalem,
& si is, vel absens sit, vel non solvendo, demum regressum habeat ad
fidejussorem. *auth. presente C. h. t. Nov 4. c. 1.* Quod verum est, si simpli-
citer quis fidejusserit; secus si ut principalem, *sum selbstschuldner / se-*
obligavit. Tum enim beneficio hoc non juvatur, *arg. l. 24. ff. de pact.*
maximè cum nullum verbum in contractibus ociosum esse debeat,
Geil. 2. obs. 27. n. 20. Fach. 8. contr. 54. Arum. d. Exerc. th. 17. Dn. Ungep. d.
Exerc. 12. q. 8. Quid dicendum, si non ut principalem se quis obligave-
rit, sed juramento interveniente fidejusserit? Neg. quia juramentum
contractui appositum non operatur, ut is degeneret, sed tantum ut
in sua forma & natura firmior sit, *l. fin. C. de non num. pec. Fach. 3. contr. 15*
Arum. d. Exerc. th. 18. Dn. Ungep. d. q. 8. in Nego. Porrò si plures simul fi-
dejusserunt, omnes tenentur in solidum, §. 4. *Inst. h. t.* Succurritur ta-
men iis ex Epistola D. Adriani beneficio divisionis, quo obligatio in-
ter fidejussores dividitur, ut quilibet non nisi pro rata portione con-
veniri à creditore possit, *d. §. 4. l. 26. cum duabus seqq. & l. 51. ff. h. t.* si mo-
do prius fidejussor non inficiatus sit, se fidejussisse, *l. 10. ff. h. t.* & cæteri
fidejussores præsentis sint, ac tempore litis contestatæ solvendo, *d. §.*
4. d. l. 28. & l. 10. C. h. t. Nam tum unus etiam, non obstante beneficio
hoc, in solidum conveniri potest. Quo tamen casu superest benefici-
um cedendarum actionum, l. 17. l. 36. ff. h. t. quod ante solutionem pe-
tendum est. Nam post eam absq; pacto vel protestatione decedendis
actionibus facta, frustra urgetur: cum solutione unius omnis tol-
latur obligatio, nec quicquam supersit, quod cedi postea possit, l. 23.
& l. 43. ff. de solut. Schneid. add. §. 4. n. 24. Wesenb. in w. ff. h. t. n. ult. Gædd.
d. tr. c. 9. n. 120. Arum. D. ad w. 23. th. 3.

*Secus si præcesserit
solutionem pactum
de cedendis actionib.*

I X.

Sequitur litterarum obligatio, (a) quæ est contra-
ctus, quo debitor scriptura, (b) seu chirographo dato
faretur se certam pecuniæ summam accepisse, quam
revera non accepit. (c) Oritur ex ea actio, sive condi-
ctio ex litteris (d) ad petendum id, quod chirographo
continetur. (e)

Mm 2

(a) Me-

(a) Meminit Imperator, *pr. Inst. de lit. oblig. & alterius obligatio-*
nit litterarum, quæ nominibus fieri dicebatur, & jam ejus tempori-
bus in usu esse desierat. Videri tamē de ea potest, Myns. Borch & alij ad
d. pr. Q. An litterarum obligatio etiam veteribus Jctis fuerit cognita?
Quod aff. quia Cajus lib. 2. Inst. t. 9. pr. expressè litterarum obligatio-
nem inter contractus refert. Hering. d. tr. c. 10. n. 8. & Hænon. d. D. th. 16.
 (b) Scriptura enim forma est, quæ substantiam hujus contractus con-
 stituit, *Schneid. ad d. t. n. 4.* Nam quod *Bach. ad Tr. vol. 1. D. 20. th. 2. lit. B.*
 contendit, obligationem hîc non ex litteris, sed præsumpto potius
 mutuo nasci, id expressè contra Justin. est *in h. t. n. & §. fin. supr. de oblig.*
 qui contractus hujus essentiam non in præsumpto, aut ficto mutuo,
 sed in confessione illa litteraria, sive scriptura sitam asserit. (c) *Myns.*
& Schneid. ad d. t. n. 2. Oritur autem ex hoc contractu obligatio, non
 elapso demum biennio, ut perperam *Duar. & alij*, crediderunt; sed
 statim quamprimum confessio talis emissa est: quia aliàs tempus, ef-
 fet modus constituendæ obligationis, *contra l. 44. §. 5. ff. de O. & A.* Et
 obligatio temporis, sive biennii, non litterarum dicenda esset, *Gædd.*
d. tr. c. 1. n. 61. Schneid. ad d. pr. n. 7. Estq; obligatio illa nō civilis tantum,
 sed naturalis & civilis simul. Nec enim obligatio civilis à naturali se
 jungenda est. *Borch. ad pr. Inst. de obl. n. 10. Adde D. preced. th. 1. lit. B.* (d)
pr. Inst. h. t. Schneid. & Dd. communiter conditionem ex lege, ex hoc
 contractu nasci contendunt. Sed verius est, nasci hîc conditionem
 ex litteris: quia lex non introducit istam persecutionem immediatè,
 sed mediante negotio dati chirographi, *Myns. ad d. t. n. 9. Oldend. Class.*
4. act. 30. (e) d. t. Inst. de litt. obl. Quæ tamen actio per exceptionem non
 numeratæ pecuniæ intra biennium tolli, & elidi potest, *d. t. l. 8. l. 14. C.*
de non num. pec. Imò & post biennium: si debitor eam probare parat^r
 fit: quia exceptiones natura sua perpetuæ sunt, *l. 5. inf. ff. de dol. exc.* Sed
 hoc tamen discrimine, quod si intra biennium opponatur, privilegi-
 ata sit hæc exceptio, & onus probandi creditori incumbat, qui docere
 tenetur, pecuniam, cujus chirographum meminit, revera à se nume-
 ratam fuisse: si verò post elapsum bienniū, juxta regularem exceptio-
num naturam, onus probandi in debitorem rejiciatur. Lex enim tum
 pro creditore, & contra debitorem præsumit: cum verisimile non sit,
 eum tam negligentem fuisse, ut intra totum biennium, pecuniā non
exegerit, aut saltem chirographum non repetierit, *Schneid. ad d. t. n. 11.*
Br. cent. 2. aff. 22. Tr. vol. 1. D. 20. th. 2. lit. C. Hænon. d. D. 15. th. 15. Dn. Ungep. d.
Exerc. 11. q. 9. FINIS.


99 A 6938


ULB Halle 3
002 822 58X



Handwritten text and faint bleed-through from the reverse side of the page, including the word 'CONNECTION' and some illegible characters.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ODECIMA.

125

NEAS ONES.

lica in ceber-
a.

LUDWELL

dominis Collegis

AMLERUS

DEL.

XVII.

ORUM,
is Scherffij,
phi.

